Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Friedrich Fischer

Supplementorum Commentarii Ioh. Vorstii De Hebraismis Novi Testamenti

Specimen 1 : Orationi Latinae In Schola Thomana : Prid. Kal. Ianuarias A. C. MDCCLXXXXI ; Hora V. Vespert Habendae Praemissum

Lipsiae: Sommer, [1791]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0001
DFG

I. c. 1107

I. c. 1107. 1.2.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0002
DFG

SVPPLEMENTORVM
COMMENTARII IOH. VORSTII
DE
HEBRAISMIS NOVI TESTAMENTI
SPECIMEN PRIMVM
ORATIONI LATINAE
IN SCHOLA THOMANA
PRID. KAL. IANVARIAS A. C. CIↃIↃCCLXXXXXI
HORA V. VESPERT
HABENDAE
PRAEMISSVM
AB
IOH. FRIDER. FISCHERO
RECTORE

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0006
DFG

Q. B. V

Partem orationis Graecae librorum Noui Testamenti eam, quae tot, tamque certis, rationis Hebraicae notis, atque vestigiis, comparet in verbis, et singulis, et iunctis, impressa, et signata, cura, atque studio, Iohannis Vorstii ita illustratam esse, atque explicatam, gaudemus, vt opere, quo complexus est eruditissimus vir huius literarum generis opes, et copias, nihil elegantius, et elaboratius, nihil melius, et vtilius, sapientissimi cuiusque iudicio, habeatur. Qua quidem eximia libri vtilitate, atque excellentia, impulsus ego, quo consulerem opera mea studiis adolescentium liberalium, aliorumque, qui naturam styli Apostolorum, et Euangelistarum, cogno-

scere, duce Vorstio, quamuis cuperent, tamen, ob exemplarium operis eius, vel penuriam, vel caritatem, huius cupiditatis suae sitim explere, et sedare, non possent, formulis illud stanneis denuo describendum, ante hos decem, et tres, annos, ita curaui, vt accedere iusserim, non modo eiusdem auctoris opusculum de adagiis Noui Testamenti, et libellum, quo cogitata quaedam sua de oratione scriptorum sacrorum exposuerat multis annis ante, quam ipsa Hebraismorum volumina ederet, sed etiam animaduersionum corpusculum, ab Horatio Vitringa, Campegii filio, eo maxime consilio confectum, vt peregrinitatis labeculae, quas verbis quibusdam, atque formulis, librorum diuinorum Graecis adsperssisset libido Vorstii, eae, Graecorum scriptorum auctoritate, eluerentur, atque tollerentur. Ab hoc autem doctissimo adolescente etsi non nescimus multa contra Vorstium esse ita disputata, vt solertia aduersarii, atque diligentia, isto in genere etiam magis apparuerit: tamen negari nullo modo potest, opus Vorstianum, id quod ipse eius auctor, pro singulari suo modestiae studio, est loco non vno confessus, vitiis contaminatum varii generis laborare. Etenim Vorstius primum de origine peregrina, et noua potestate, multorum verborum, et formularum, Graecarum non satis accurate praecepit: deinde omnia verba, atque formulas, Graecas ex Hebraicis verbis, formulisque, expressas in vnam, et triginta, classes ita distribuit, vt ordinem, et constructionem, partium orationis, indices

pere-

peregrinitatis multo fere certiores, grauioresque, prorsus paene neglexerit: denique praeteriit numerum nominum, et verborum, et particularum omnis generis, etiam formularum, in classe quaque magnum, quarum inusitatae potestatis caussarum, originumque, iuuestigatio esset non omnino promta, et facilis. De his igitur operis Vorstiani vitiis nuper emtoribus exemplarium nostrae eius recensionis polliciti sumus nos, simulac quaestioni de vitiis Lexicorum Noui Testamenti feciſſemus finem, paulo plenius esse, atque ita, exposituros, vt, quae male ibi praetermissa esse viderentur, ea addere instituueremus, et quae praue praecepta reperirentur, ea corrigere conaremur. Iam quum contigisset nobis ante hos nouem menses absoluere disputationem de ornamentis, quibus Lexica Noui Testamenti ad vnum omnia carere optimus quisque indignabundus miraretur: huius beneficii singularis sane, et diuini, recordatio animum nostrum reuocauit ad memoriam promissorum, quae omnibus consultoribus Vorstii feciſſemus. Quae quidem promissa a nobis nunc eo magis censemus esse seruanda, quo aptiorem reperiri videmus hancce grauitatem, atque operam, personae hominis, qui inde ab ineunte aetate omne tempus, omne studium, omnem curam, posuerit in copiis Graecarum, Latinarumque, etiam Hebraicarum, literarum ita comparandis, vt eas ad intellegenda, explicandaque, Euangelistarum, et Apostolorum, scripta, in postremo maxime vitae suae actu, conferret, quo graui doctrinae Christia-

nae ſcientia ornatus ad diuinum illud animorum concilium, coetumque, proficiſceretur.

Ante vero, quam afferre aggrediamur ea, quae, vel ad perficienda, vel ad emendanda, praecepta Vorſtii de Hebraiſmis librorum Noui Teſtamenti pertineant, breviter de natura, et ingenio, orationis, qua ſcriptores ſacri in iis componendis vſi ſunt, exponendum eſſe videtur, quo facilius poſſit, atque certius, iudicari ab cunctis, quae ibi e Graeca lingua repetita, quae ex ſermone Hebraico arceſſita, reperiantur. Apoſtoli enim quum homines fuerint illiterati, et ab omni doctrina Graeca alieni, qui cognitionem Graecarum literarum lectitandis auctorum Graecitatis optimorum libris, neque collegere, et comparare, neque confirmare, et adaugere, vllo modo poſſent [1]; quum inſtituerint res, et facta, Chriſti, praeceptaque, et partes, diſciplinae eius, literis tradere hominibus maxime plebeiis, atque indoctis [2]: ſane procliue eſt intellectu, eos in conſcribendis epiſtolis ſuis, et commentariis, neque potuiſſe, neque debuiſſe, orationem adhibere Graecam aliam, niſi eam, quae tum in vita communi, familiaribuſque ſermonibus, verſaretur. Hanc autem ſatis conſtat fuiſſe linguam Macedonicam nouam, et

1. Vid. Ioh. Lamii de erudit. Apoſtolorum libri ſingularis c. 7. ſ. p. 116. — 128. ed. pr. Florent. A. C. 1738. octonis. Nam idem liber duas in partes deſcriptus iterum exiit eadem in vrbe A. C. 1766. quaternis.

2. Vid. Ioh. Lamius d. l. c. 6. p. 106. — 116.

et Alexandrinam, cuius formam, et ſpeciem, alio nos loco [3] adumbratam propoſuimus, cuiuſque vſus aſſiduitas memoriam reliquorum loquendi generum, quas διαλέκτους vocauere Graeci, in vita quidem cotidiana ita extinxerat ea aetate, atque obliterarat, vt multae tamen Atticae in primis linguae, ipſius parentis [4], notae remanſerint. Itaque ſapientiam Pe. Keuchenii [5], Georgii Raphelii [6], Caſp. Frider. Munthii [7], aliorumque, qui putarint, huic parti orationis Apoſtolorum lucem arceſſendam eſſe, cum ex Alexandrina Veteris Teſtamenti verſione, tum ex eorum maxime ſcriptorum libris, qui, vel ſucceſſorum Alexandri magni ſaeculo, vel poſt illa tempora, vixerint, vt Polybii, Diodori Siculi, Arriani, et aliorum eiuſdem generis auctorum, quis non probandam vnice, et vehementer laudandam, ducat? Sed Apoſtoli omnes quum fuerint natione Iudaei, qui lingua Hebraica vtraque, et vetere, et noua, hoc eſt, Chaldaica, ſiue Syriaca,

3. Vid. Proluſ. 30. et 31. de vitiis Lexicorum Noui Teſtamenti.

4. Irenaei, Heliodori Metrici diſcipuli, grammatici Alexandrini, qui Latine Pacatus nominatus eſt, in ſcriptis fuere περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου, ὅτι ἔξιν ἐκ τῆς Ἀττθίδος, βιβλία ζ'. vid. Suidas v. Εἰρηναῖος, cuius verba tranſtulit in Ἰωνιὰν Eudocia p. 169.

5. Pe. Keuchenii Annotata in Nouum Teſtamentum exiere Amſtelaedami A. C. 1708. quaternis.

6. Georgii Raphelii Annotationes philologicae in N. T. ex Xenophonte, Polybio, Arriano, et Herodoto, in vnum corpus redactae, editae ſunt a Brandano Ludolpho Raphelio, G. F., Lugduni Batauorum A.C. 1747. octonis, Voll. 2.

7. Obſeruationes philologicas in ſacros N. T. libros ex Diodoro Siculo collectas edidit Caſp. Frider. Munthius Hafniae A. C. 1755. octonis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0011
DFG

riaca, vti a pueris didiciſſent: fieri profecto non potuit, quin, ſi Graece loquerentur, aut ſcriberent, in vſurpandis verbis, ac formulis, in partibus orationis componendis, in connectendis denique ſententiis, patrii fere ſequerentur ſermonis conſuetudinem. Atque hoc peregrinitatis ſtudium epiſtolae eorum, atque commentarii, ita loquuntur, vt, qui hoſce libros Graece, et pure, ſcriptos eſſe contendere audeant, ii verſioni alterius Teſtamenti ſeptuagintauirali eandem tribuere laudem cogantur. Hac autem in verſione verba, et ſingula, et iuncta, propemodum omnia e verbis Hebraicis expreſſa eſſe, ſtructuram item, ordinemque, verborum, continuationem, et ſeriem, ſententiarum omnem, referre naturam, et indolem, formam, et faciem, Hebraici ſermonis, quis neſcit? Et qui orationem voluminum huius verſionis diligenter contulerit cum Noui Teſtamenti oratione, eum ſperamus eſſe ſponte conceſſurum, vtrique intercedere plurimis in locis tantam ſimilitudinem cum oratione Hebraica, vt ſcripta Apoſtolorum, maximeque Euangeliſtarum commentarii, in nullam conuerti linguam aliam, quam in Hebraeam, facilius, atque ita, poſſint, vt verbum de verbo exprimatur, neque tamen obſcuritas vlla exiſtat, nedum ingenium linguae ipſum vllo modo laedatur. Hoc vero quis non aſſentiatur Boeclero [8], ſummo viro, cenſenti, ponen-

8. diſſert. de lingua N. T. originali ſ. 43., quae, Argentorati A. C. 1642. edita, repetita eſt in Ioh. Olearii diatriba de ſtylo N. T. Lipſ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0012
DFG

ponendum esse certissimum argumentum generis loquendi Hebraici, quod scriptores Noui Testamenti sequuti sint? Quis sibi non ad imitandum proponat studium Grotii, Keuchenii, aliorumque, in conquirendis e versione Veteris Testamenti Alexandrina copiis, quibus intellegentia, atque interpretatio, huius partis orationis Apostolorum adiuuetur? Et quum sermo Graecus vetustissimus, atque Hebraicus, propter maximam cognationem, necessitudinemque, innumerabiles habuerit dictiones, formasque loquendi, communes, quarum exemplis libri antiquissimi cuiusque scriptoris Graeci, vt carmina Homeri, et Hesiodi, etiam tragicorum fabulae, refertissimae conspiciantur, quarumque multitudo non mediocris inde in varias Graeciae linguas ita migrauerit, vt ciuitate sit Graeca donata; quum Apostoli, qui essent huius rei omnis ignari, in vsurpandis talibus loquutionibus stylum spectare, sequique, iusserint suum solam Hebraeorum rationem, scribendique consuetudinem: neminem facile futurum esse confidimus, quin videat, quam temere, et imprudenter, Pfochenius, eiusque praeceptorum subscriptores, et approbatores, abusi sint Homeri, Euripidis, aliorumque poëtarum aequalium, auctoritate ad asserendam orationi Graecae Noui Testamenti subtilitatem, atque munditiem 9. Huius igitur legis, et praecepti, meminerint

Lipsi. A. C. 1699. p. 121. — 140. et A. C. 1721. p. 432. — 452. Conf. Mosis Solani dissert. de stylo N. T. contra Pfochenium s. 35. p. 288. Rhenferd.

9. Praeclara est hanc in rem ob-

seruatio

nerint ſemper ii, qui vere, neque cupide, iudicare de iis velint, quae a nobis de linguae Hebraicae in Euangeliſtarum commentariis, epiſtoliſque Apoſtolorum, veſtigiis, atque notis, praeeunte Vorſtio, ita diſputabuntur, vt opus eius, vel augeamus, et perficiamus, vel corrigamus, atque emendemus.

Etenim in primam quidem Hebraiſmorum Noui Teſtamenti claſſem nouimus ab doctiſſimo viro coniecta eſſe ea nomina Graeca vtriuſque generis, verba item, et aduerbia, caeteraſque particulas, quae nouam acceperint, inuſitatamque, poteſtatem propterea, quod vnum, alterumue, ſignificatum, eumque fere primum, et proprium, haberent cum particulis, et verbis, et nominibus, Hebraicis eiuſdem ingenii communem. Magnum autem vocabulorum huius generis numerum ab Vorſtio praetermiſſum eſſe, eo minus miramur, quo magis tenemus, boni eſſe praeceptoris, docere, quomodo quaeri quaeque, et inueniri, oporteat, vnumque, aut alterum, exemplum ſubiicere, non omnia. At quia tamen hanc praeceptionem omnem non neſcimus aduleſcentium maxime liberalium cauſſa ſuſcipi, qui non ea praediti ſint vtriuſque linguae ſcientia, neque eum habeant hoc rerum in genere vſum, vt ſponte omnia, neque opera aliena adiuti,

ſeruatio Chriſtoph. Aug. Heumani, interpretis librorum Noui Teſtamenti eruditiſſimi, qui hoc quoque in genere verum vidit, ad Matth. 25, 34. p. 413. f.

iuti, inueſtigare valeant: ſperamus, nos eſſe de rationibus eorum haud male merituros, ſi vocabula a Vorſtio hac in claſſe praeterita, quae adhuc quidem notauerimus, ita perſequamur, vt de peregrinis eorum notionibus paulo diligentius diſſeramus, praeſertim quum nec ab Lexicographis ingenuae lectorum Noui Teſtamenti cupiditati ea in re ſatiſfactum eſſe videamus.

Faciemus autem hoc in genere, ipſo Vorſtio duce, initium a nominibus. Etenim nomen τήρησις in voluminibus auctorum Graecitatis, et in ſcriptis apocryphis Veteris Teſtamenti, et in Noui Teſtamenti libris, quadruplici fere praeditum poteſtate legitur. Et proprie quidem eo ſignificata eſſe videtur *ſeruatio*, et *obſeruatio*, quam nouimus in eos cadere, qui *ob*, hoc eſt, ante, propter, contra, perſonam, remue, aliquam ita ſunt, verſantur, ſtant, ſedent, vt oculos in eam intendant, animo, vel bono, vt ei proſint, ſibi certe caueant, atque conſulant, vel malo, vt obſint ei, et noceant: quo in genere nos in lingua patria vſurpare ſolemus verba *beobachten*, *Acht haben*, *Achtung geben*. Sic vero Thucydides, non modo hoc ipſo nomine, Stephano quoque auctore [10], vſus eſt [11], ſed etiam verbo τηρεῖν [12], quod ab gram-

 maticis

10. Theſ. L. Gr. v. τήρησις p. 1464. To. 3.

11. 7, 13.: cui loco recte poteſt addi locus 7, 86. coll. Actt. 12, 6.

12. 3, 22. 4, 26. Vid. Gataquerus diſſert. de ſtylo N. T. c. 17. p. 107. ſ. Trai.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0015
DFG

maticis veteribus [13] explicatum esse iis verbis videmus, vt facile appareat, verbum Latinum *seruare* notionem primam cum Graeco verbo communem habere, atque adeo esse ex hoc ipso verbo effictum, quum in fabula Plauti, quae Rudens inscribitur [14], *vxor* maritum *seruare*, et apud Lucanum [15] *augur caelum*, atque *volucres sinistras*, *seruare*, ita legatur, vt Menander apud Nonium Marcellum [16] dixit τηρῶ τὸν ἥλιον, τὰ τ' ἄστρα [17]. Deinde nomen τήρησις eleganter translatum est ad eos, qui leges, et praecepta, pacta, et foedera, obseruant. Quae quidem eius significatio maxime in dialecto Macedonica noua, Alexandrinaque, frequentata esse videtur. Certe in libris Polybii, Diodori Siculi, Herodiani, et Achillis Tatii, formulae τηρεῖν τὰ κατὰ τὰς συνθήκας δίκαια [18], τηρεῖν τὰς τῆς πόλεως νόμους [19], τηρεῖν τὰ συνθήματα [20], τηρεῖν τὸν

13. Etymol. M. v. λατρεία p. 557. Sylb. τοῦτο ἐκ τοῦ τηρῶ τὸ βλέπω, καὶ τοῦ λᾶς ἐπιτατικὸν, λατήριον, καὶ συγκοπῇ λάτρον, πρὸς ὃ ἀποβλέπει ὁ μισθωτός. add. Eustathius ad Il. β, 829. p. 359. Rom. Phauorinus, nescio an ex Georgii Lecapeni Grammatica: Τηρῶ σημαίνει δύο· τὸ παραφυλάττω, ἤτοι τὸ κοινῶς λεγόμενον παρακάθημαι· ὡς καὶ Λιβάνιος, Καὶ τηρήσας ἀφιέντα δίσκον, ἀντὶ τοῦ παραφυλάξας· καὶ τηρῶ νυκτὸς φυλακήν, ἀντὶ τοῦ φοβούμενος φυλάττω· καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις, Αἵτινες τηροῦμεν ὑμᾶς, ἤγαν φυλαττομεν.

14. 4, 1. 4.

15. 5, 395. 1, 601.: vbi v. Audendorpius.

16. 4, 411.

17. Ita quidem edidit Gotho redus: sed alii legunt hunc locum aliter. v. Clericus ad fragmm. Menandri p. 280. f.

18. Polyb. 1, 83.

19. Diod. Sic. 11. p. 10. To. 2. Rhodom.

20. Herodi. 6, 6. 2. add. 7, 9. 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0016
DFG

τὸν νόμον τῦ τόπυ [21], leguntur: et in voluminibus ſententiarum, quae Salomoni, et Siracidae, tribuuntur, dictiones τήρησις νόμων [22], et τήρησις ἐντολῶν [23], extant. Atque ex hoc ipſo fonte ſcriptores Noui Teſtamenti formulas τηρεῖν τὰς ἐντολὰς [24], τηρεῖν τὸν νόμον [25], aliaſque ſimiles [26], et Paulus [27] loquutionem τήρησις ἐντολῶν θεῦ, hauſiſſe ſine vlla controuerſia exiſtimandi ſunt. Etſi enim Gataquerus [28] eos putabat ſequutos eſſe ea in re vſum verbi Hebraeorum נָצַר: tamen leuitatem huius opinionis ſummi viri iam ab ipſo Vorſtio [29] notatam eſſe video. Sed in lingua Macedonica, atque Alexandrina, nomini τήρησις etiam haec data fuiſſe videtur vis, vt ſignificaret talem *cuſtodiam*, qualis tribui ſolet iis, qui regioni alicui, atque prouinciae, ita praeſunt, vt eam tutam, ſalvamque, praeſtent [30]; qui tuentur aliquid, et conſervant, vt intactum, atque integrum, maneat [31]. Quem quidem vocabuli ſignificatum Alexandrini haud dubie e linguis Graeciae antiquis repetiere. In his enim, maximeque in dialecto Attica, poſitum reperitur, non modo de iis, qui rempublicam, eiuſque partes, tuentur, ſed etiam de his, qui rem familiarem diligentia, et parſimo-

 nia,

21. Achilles Tat. 8. p. 517. Salmaſ.
22. Sap. 6, 18.
23. Sirac. 35, 23.
24. Matth. 19, 17. Ioh. 15, 10. 1. ep. 2, 3. 4. 3, 22. etc.
25. Act. 15, 5. 24. Iac. 2, 10.
26. Vid. Marc. 7, 9. Ioh. 8, 51. 52. 55. 2. Tim. 4, 7.
27. 1. Corr. 1, 19.
28. diſſert. de ſtylo N. T. c. 17. p. 106. Trai.
29. Philol. S. c. 6, 3. p. 193.
30. Vid. 1. Macc. 5, 18. coll. Aeſchin. Socr. 3, 19.
31. Vid. 2. Macc. 3, 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0017
DFG

monia, conſeruare ſtudent [32]. Atque notiones haſce tres nomini מַטָּרָה in linguis orientalibus fuiſſe cum nomine Graeco τήρησις communes, ita certum eſſe putamus, vt dubitari a nemine poſſe videatur, qui locos verſionum maxime Chaldaicarum Veteris Teſtamenti a Buxtorfio in Lexico Chaldaico, et Talmudico [33], congeſtos inſpexerit. Sed Hebraeis, atque Chaldaeis, hunc numerum notionum nominis מַטָּרָה ternarium duabus ſimilibus aliis, iiſque praecipuis, neque cum Graeco nomine τήρησις, quod ſciam, communibus, augere placuit. Et Chaldaei quidem vocabulo illo appellare inſtituerunt iſtud *cuſtodiae* genus, quod in eos cadit, qui cuſtodiunt in carcerem coniectos, ne elabantur inde, atque effugiant. Namque *carcer*, vt ab Hebraeis vocatur, et בֵּית כֶּלְא [34], et בֵּית מִשְׁמָר [35], vel בֵּית מִשְׁמֶרֶת [36], ita in lingua Chaldaica בֵּית מַטְרָא [37] dicitur: quibus, aliiſque, carceris vocabulis ſeptuaginta interpretes in verſione ſua verba οἶκος Φυλακῆς [38], et οἰκία Φυλακῆς [39], ita reſpondere iuſſerunt, vt pro iis voces οἶκος τηρήσεως, et οἰκία τηρήσεως, ſubſtituere recte potuiſſent. Hebraei enim, per genus metonymiae

32. Vid. Pollux 3, 116. 4, 34.

33. v. נָטַר, et נָטוֹר, et נְטִירוּתָא. Atque Hebraei *propoſitum*, quod Graece σκοπὸς dicitur, nullam ſane aliam ob cauſſam מַטָּרָה vocauere, quam quia *ſeruatur*, obſeruatur. v. 1. Sam. 20, 20. Iob. 16, 12. Threnn. 3, 12.

34. 2. Regg. 17, 4. 25, 27. Ieſai. 42, 7. —.

35. Gen. 42, 19.

36. 2. Sam. 20, 3.

37. Onquel. Leuit. 24, 12. Numerr. 15, 34.

38. 2. Sam. 20, 3. 2. Regg. 17, 4. 2. Parall. 18, 29. Ieſai. 42, 7.

39. Ier. 37, 15. 18. Vatic.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0018
DFG

miae id, quod verba cauſſae, et finis, vſurpat pro verbis rerum fini deſtinatarum, *carcerem*, non modo מִשְׁמָר [40], ſed etiam מַטָּרָה [41], appellauere. Qua quidem in re quum Hebraeos imitati Latini non magis, quam Graeci, reperiantur, ita, vt hi carcerem Φυλακὴν, illi *cuſtodiam*, dixerint: mirandum ſane non eſt, Lucam in actis Apoſtolorum [42], inuitatu, et admonitu, conſuetudinis loquendi Hebraeorum, eundem locum etiam τήρησιν, non modo Φυλακὴν, nominaſſe, praeſertim quum non ignoraret, vtriuſque nominis, et Hebraici מַטָּרָה, et Graeci τήρησις, tantam eſſe coniunctionem, neceſſitudinemque, vt, et propriam notionem, et ſignificatus quoſdam alios, haberent communes.

Sed de nomine τήρησις, eiuſque poteſtate varia, cum domeſtica, et vernacula, tum peregrina, et ex Hebraico ſermone arceſſita, ſatis expoſitum videtur. Reliqua huius generis nomina alio tempore, volente deo, perſequemur. Quum

40. Gen. 40, 4. 42, 17. Numerr. 15, 34.

41. Ier. 32, 2. 12. 33, 1. 37, 21. 38, 13. Nehem. 3, 25. 12, 39.

42. C. 4, 3. 5, 18. coll. v. 19.: quo poſteriore loco interpres Syrus τήρησιν δημοσίαν vocat ܒܝܬ ܐܣܝܪܐ: quibus verbis Chaldaei quoque de *carcere* vſi ſunt: v. Onquel. Gen. 40, 3. Ionath. 2. Regg. 17, 4.: ſed loco priore verba ἔθεντο εἰς τήρησιν expreſſit ſimpliciter verbo ܢܛܪܘ. Nam etiam in Syriaca dialecto *carcer* appellatur ܒܝܬ ܢܛܘܪܬܐ. vid. Apoc. 2, 10. 20, 7.

Quum enim deus nos, pro singulari sua, incredibilique, benignitate, huius quoque anni ad finem, et terminum, peruenire saluos, omnisque generis bonis maximis cumulatos, iusserit: agite, Collegae coniunctissimi, perendie, hora quinta vespertina, in auditorium classicum scholae nostrae ita conueniamus, vt virtutes, atque laudes, euergetae nostri summi, et auctoris felicitatis nostrae omnis vnici, hymnis celebremus, oratiunculamque Latinam discipuli classici, AENOTHEI BONIF. VICTORIS LEONIS, *Leucopetrensis*, adulescentis bonae spei, quem pietatis aduersus deum nostrae interpretem esse voluimus, sic audiamus, vt preces eius nostris precibus adiuuemus. Tu vero, o deus optime maxime, accipe eas propitius, prouidentiaequae tuae, atque praesidio, etiam posthac quam commendatissimas habe res scholae nostrae omnes! Patronos eius, et curatores, et fautores, et magistros, omnes cura peculiari complectere tua! Discipulorum omnium animos rege numine tuo, et guberna, vt vias doctrinae, et virtutis, omnes acerrime persequantur, quo publica, et priuata, liberalitate, disciplinaque praeceptorum, haud indigni vllo modo appareant! Illumina denique mentes omnium nostrum ita, vt leuitatem, et inconstantiam, infirmitatem et fragilitatem, rerum humanarum magis magisque perspiciamus sic, vt contemnamus, et despiciamus, terrena, caelestia suspiciamus, et diligamus, quo sanctitatis vitae, morumque, studiosi tibi semper vnice probemur, quo animi nostri vinculis

cor-

corporum aliquando ſoluti in ſedes pias diſcedant. Sed obliga etiam, obſecro te per Chriſtum, filium tuum, ſalutis mortalium auctorem vnicum, atque adeo ſana, ipſe vulnus, quod tu patrie mihi nuper inflixiſti morte praematura illa quidem, nec opinata, ſed bona tamen, et placida, et laeta, filii mei vnici, *Erdmanni* [Adami] *Friderici Rudolphi*, adoleſcentis bono, docilique, ornati ingenio, pietate in te, et parentes, et praeceptores, etiam ſorores, praeſtantiſſimi, erga condiſcipulos, omniſque ordinis, et aetatis, homines humaniſſimi, et egregie comis, cui fontibus ſapientiae vtriuſque generis, in primis diuinae, nihil dulcius, et iucundius, cultu tui, et publico, et priuato, rebuſque ad religionem pertinentibus omnibus, nihil carius, et antiquius, eſſet, qui libris ſcriptorum veterum, editionumque eorum principum notitia, ita delectaretur, vt alia fortunae dona omnia omnino contemneret, nec Latinae, et Graecae, et Hebraicae, linguae, pro aetate ſua, ignarus inueniretur, cuius denique vultus modeſti, laetique, ipſam loqui innocentiam, probitatemque, atque animi aequitatem, et ſecuritatem, viderentur [43]! Iube oſſa eius cubare molliter, et tempore iudicii,

43. Cato apud Cic. de ſenect. c. 19. *Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet eſſe contentus. Neque enim biſtrioni, vt placeat, peragenda eſt fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur: neque ſapienti vſque ad Plaudite viuendum. Breue enim tempus aetatis ſatis eſt longum ad bene, honeſteque, viuendum.* Natus erat *Fridericus* meus a. d. III. Nonas Quinctiles A. C MDCCLXXV. hora prima matutina.

iudicii, quod Christus, filius tuus, de vita, et factis, hominum facturus est, renouata resurgere, quo ipse corpore immortali circumdatus gaudiis, et liquidis, et aeternis, fruatur! Meum vero animum ipse adorna sic, vt

tina. Inde ab anno aetatis quinto vsque ad tertium decimum annum vsus est disciplina praeceptoris domestici fidelissimi, *Christi. Godofredi Findeisenii*, AA. M. eruditissimi, et editoris Euagorae Isocratei solertissimi: quo praeeunte quum diligenter imbibisset doctrinae Christianae, linguaeque, et Latinae, et Graecae, et Hebraicae, initia: hanc eorum scientiam adaugere, et confirmare, adiutore eodem magistro, studuit, collegendis, et historiae, et geographiae, antiquae copiis, legendisque scriptis principum vtriusque sermonis optimis, vt Cornelii Nepotis, Iustini, Phaedri, Terentii, Palaephati, fabellarum Aesopiarum auctoris, Aeschinis Socratici, Xenophontis, Aeliani, Homeri, etiam libris V. T. historicis, et opusculo, quo Ricardii, viri clarissimi, stylus Latinus capita, atque partes, doctrinae Christianae complexus est, cognoscendo. Agens annum aetatis quartum decimum itare instituit in scholam Thomanam, ita, vt, et mihi Aristophanis Plutum enarranti assideret, et *Car. Aug. Timio*, conrectori praeclarissime merito, cum artis rhetoricae praecepta tradenti, tum interpretanti Platonis, et Xenophontis, Apologiam Socratis, Virgilii, et Horatii, carmina, Ciceronis epistolas ad diuersos, et orationes Catilinarias, atque libros sacros vtriusque foederis, operam daret: sed domi Findeisenium suum explicantem audiret, praeter libellum Ricardii laudatum, Isocratis Euagoran, et Herodoti Musas, et Homeri Iliada, et Ouidii Metamorphoses, meque ipso duce, et stylum Latinum, Graecumque, struendis periodis omnis generis, narrationibusque componendis, et memoriam pronuntiandis locis Aeliani, Ciceronisque, egregiis, diligenter, atque sic, exerceret, vt ego docilitate adolescentuli eximia, neque mediocri solertia, et industria acerrima, mirifice delectarer. Itaque relatus auctumno superioris anni in numerum ciuium academicorum benignitate *Ern. Platneri*, summi viri, rectoris Academiae Lipsiensis tum magnifici, constituerat ineunte vere huius anni, atque deinceps, partim me, Thimioque, collega optimo, ducibus, partim praeeuntibus aliis magistris idoneis, non solum initia linguae Chaldaicae, et Syriacae, poëticesque Latinae, et Graecae, etiam dialectices, et antiquitatum Romanarum, percipere, sed etiam historiam veterem, et rhetoricen, scriptaque Homeri, et Platonis,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0022
DFG

vt semper paratus reperiar ad illud diuinum animorum concilium, coetumque, proficiscei; praesertim quum facile videam, non longinquum fore inter me, atque *Fridericum* meum, digressum, ac discessum! Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXXXI

tonis, et Ciceronis, aliorumque vtriusque orationis auctorum, non minus, quam libros vtriusque aetatis diuinos, accuratius cognoscere. Sed deo, sapientissimo, optimoque, fatorum mortalium gubernatori, alia omnia placuere. Hic enim mense iam Aprili huius anni pectus humanissimi adolescentis opprimi morbo grauissimo iussit, cuius vi, quae nulla, nec peritissimorum medicorum, arte frangi posset, confectus a. d. XVII. Kal. Nouembres, hora secunda pomeridiana, obdormiuit, quum tredecim diebus ante corpus, et sanguinem, Iesu Christi e manu *Ioh. Georgii Rosenmulleri*, viri summe reuerendi, accepisset, ita plenus fiduciae meritorum seruatoris sui, ita certus vsurae gaudiorum aeternorum, vt voces postea emiserit plures, quae planissime loquerentur constantiam animi ipsius singularem, mirificamque rerum terrenarum, et humanarum, omnium despicientiam [v. Romm. 8, 18. Phill. 1, 23. 1. Corr. 13, 9. s.]. Elatum est corpus *Friderici* mei a me, quod contra decuit ab eo meum, a. d. XIII. Kal. Nouembres, hora septima matutina, prosequentibus exequias funeris necessariis meis, et collegis, omnibus, aliisque ciuitatis principibus, etiam discipulis superiorum classium scholae Thomanae cunctis. Sap. 4, 13. s. Τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνες μακρές. Ἀρεστὴ γὰρ ἦν κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτᾶ· διὰ τᾶτο ἔσπευσεν ἐκ μέσε πονηρίας. Menander apud Plutarch. consol. ad Apollon. p. 119. E To. 2. Vechel. Ὃν οἱ θεοὶ Φιλᾶσιν, ἀποθνήσκει νέος. Plautus Bacchch. 4, 7. 18. s. *quem dI diligunt, Adolescens moritur.*

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERIA

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0023
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn820173061/phys_0028
DFG

ldito etiam casu secundo nominis οἶνος [53].
o apud Hebraeos, aliasque ciuitates priscas,
fossa, in quam succus vuarum expressus
eflueret. Haec fossa ab Hebraeis quidem
dicitur [54]: sed septuaginta Veteris Testamenti
am, exemplo Graecorum rei rusticae scrip-
πολήνιον [56], et Latini *lacum vinarium* [57], vel
cum [58], aut *vinarium* *, vocant. Sed quum
t lacus vinarii, tanta esset coniunctio, vt,
ar sine lacu, neque lacus sine torculari, co-
accidisse intellegitur, vt, non modo Chal-
Syri, lacum, et calcatorium, vno, eodem-
ę מעצרתא appellarint, sed etiam Hebraei
יקב fungi nonnunquam vicibus nominis גת
erte in libro Iobi [59] leguntur verba haec,
יקבים, quae in versione Latina vetere sic
iiuntur, *qui, calcatis torcularibus, sitiunt*: cu-
ius

Ληνός. ὅπερ ςαφυ-
vel, vt in Lexico
, ὅπερ αἱ ςαφυλαὶ
ss. vett. Ληνὸς *Tor-*
r, torculare, calca-
R. R. 1, 18. 1.].
dar. 52, 4. Geo-
4. 6, 13. 3.
. f.
.
33.
ponn. 6, 11. 3.

6, 13. 3.

56. Vid. Esai. 16, 10. Ioël. 3, 13. Hag. 2, 17.

57. Colum. R. R. 12, 18. 3. Sed ap. Pallad. R. R. 1, 18. est *lacus, qui ad excipienda vina binc inde depressi sunt.*

58. Vid. Tibul. 2. eleg. 3, 36. et eleg. 5, 86. Ouid. Fastt. 4, 888.
* Gloss vett. Ὑπολήνιον *Vinarius.*

59. c. 24, 11. coll. Esai. 63, 2.